



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 1. Quid sit traditio, & quotuplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

QVÆSTIO I.

Quid sit Traditio, & quod sit.

² Traditionem dicimus rectam, & legitimam Methodum digerendi siue ordinandi, atque adeo etiam tradendi, seu componendi scientiam, ut sique illam aliis communicandi siue tradendi. Vnde Traditionis munus est præbere, & exequi regulas certas methodice digerendi siue ordinandi atque adeo componendi quamlibet scientiam, ut sique illam communicandi aliis vel scripto vel verbo. Quocirca usus huius instrumenti ad eos omnes spectat potissimum, qui scientiam quamlibet aliis tradere, seu quoquomodo communicare probè & prout oportet prætendunt: idque vel per scripturam vel viva voce, sed & ad eos etiam qui aut ab alio aut sibi ipsis eam cupiunt habere bene ordinatam & compositam. Summus autem hic scientiam latissime, prout alias sæpe, pro quouis aggregato actuum sciendi aut etiam obiectorum scibilibus quatenus talium aliquem inter se habentium ordinem in quacumque materia sunt.

³ Hinc primo Traditio (quæ & methodus traditiua dici potest) in duo membra potest diuidi. Nempe in Traditionem per scripturam, & Traditionem per verba.

⁴ Secundò quævis illarum est diuidenda in Traditionem scientiæ metaphysicæ, & Traditionem scientiæ physicæ, & hæc rursus in Traditionem scientiæ physicæ discursivæ & in Traditionem scientiæ physicæ narratiuæ iuxta diuisiones huiusmodi scientiarum datas disputat. 2. quæstion. 2. diuis. 1. Quarum singularum subindeque & mixtionum earum propriæ regulæ tradendæ sunt quæstione sequenti.

QVÆSTIO II.

Quanam sint Traditionis regulæ ad rectè ordinandam componendam atque tradendam quamlibet scientiam dirigentes.

⁵ Supposita doctrina tradita disp. 21. & seqq. de natura & accidentibus scientiæ humanæ sumptæ latissime, deque Arte vniuersali sciendi & instrumentis eius, quæ ad rem recolenda atque recognoscenda est, regulæ certæ quamlibet scientiæ rectè ordinandi, componendi, & tradendi nullo negotio præscribi possunt. Vtpotè quæ ex ipsa natura & proprietatibus scientiarum, aut etiã Artis sciendi eruentur sunt. Quia tamen scientiæ Metaphysicæ nonnihil diuersam Traditionem exposcunt ac scientiæ physicæ; & inter has discursivæ diuersam ac narratiuæ: tum quæ per scripturam traduntur diuersam ac quæ viva voce, de singulis hisce sigillatim, subindeque & de earum mixtionibus, dicendum nobis est, supponendo semper totam doctrinam datam locis citatis, prout sequitur.

⁶ Prima regulæ. Dum scientia aliqua Metaphysica scripto tradenda suscipitur, ante omnia tota ma-

teria obiectiua eius circumspectiua est; prudenter, quæ diuidenda, si fuerit ampla in aliquas partes, distribuenda per totidem libros siue tractatus. Quarum vnæquæque rursus in alias minores subdividetur, distribuenda per disputationes, siue capita, quæ tandem disputationes siue capita ex propositionibus, aut ex quæstionibus, aut ex vniuersis componendo venient. Hoc facto anteponendo semper ea quæ magis vniuersalia; atque adeo magis nota, & minus dependentia in sui cognitione à cæteris visa fuerint, vniuersaliusque disputationis termini indigentes explanatione, siue definitione (quod ex clarissimis non sunt) definiendi sunt, siue explicandi; primò quidem vniuersaliores à cæteris abstracti, siue ex eis adunati; deinde verò, facta horum exacta, siue adæquata diuisione, minus vniuersales sub eis contenti: quo principia scientiæ primi generis, quales sunt definitiones terminorum siue propositiones prædicantes definitiones ante omnia (vbi debent) manebunt statuta. Post quæ statim statuenda sunt secundi generis principia, nempe propositiones per se & ex terminis prædicantes proprietates subiectorum primas, siue immediatas, quæ axiomata nuncupantur. Vnde tandem est procedendum ad propositiones per aliud noscibiles de passionibus subiectorum mediatis suo ordine demonstrandas, si scientia fuerit demonstratiua; si minus, ad exagrandas quæstiones de eiusmodi subiectorum passionibus etiam suo ordine. Qui quidem ordo in eo stat, ut vnæquæque propositio, si est demonstrabilis, semper per principia iam præmissa, aut etiam per præuias propositiones iam demonstratas demonstretur; si autem non est demonstrabilis, sed tantum probabilis, etiam per præcedentia iam probata, quantum fieri possit, probetur: tamen ob mutuam connexionem quam solent habere obiecta scientiarum, interdum ad maiorem propositionis comprobationem subsidij aliquid ex subsequentiis nondum probatis, supposito quod sunt probanda, liceat præaccipere.

Itaque circa materiam vniuersaliusque disputationum (inquas est materia integra scientiæ cuiuslibet metaphysicæ amplioris distribuenda) quo methodice digeratur, componatur, scriptoque tradatur scientia, omnia ferme instrumenta sciendi, quo ordine ea descriptum in hoc tractatu, sunt exercenda. Primò Observatio, ad quam spectabit talem materiam obseruare, circumspectare, atque notare. Secundò Compositio, quæ ex omnibus terminis eius vniuersaliores conceptus sunt abstrahendi, & adunandi. Tertiò Definitio, quæ eiusmodi conceptus seu termini vniuersaliores sunt definiendi. Quartò Diuisio, quæ iidem in omnes minus vniuersales sub se contentos sunt diuidendi definitis itidem illis omnibus siue explicatis interim, dum in ipsos fit vniuersaliorum diuisio. Quo principia scientiæ primi generis manent statuta. Quintò Locatio, quæ termini iidem per schemata ex eis composita aptandi ad manumque veluti ponendi sunt ad combinationem. Sextò Combinatio, per quam exercitiam circa ipsos terminos imprimis colligenda sunt atque adeo statuenda principia secundi generis, quales sunt propositiones cæteræ per se notæ dictæ axiomata, deinde obseruandæ & notandæ omnes quæstiones, quæ resaluerint. Ut his rursus tum cum principiis, tum inter se combinatis propositiones per aliud notæ deprehendantur, locandæ ad scientiam componendam secundum suum debitum ordinem iam prænotatum. Cum quo exercitio combinationis usus Argumentatio-